

cet a Papa coactus Romæ morari, et extra ecclesiam suam Capuanam, se ob bonum Ecclesiæ universalis, sibi non videbatur ipse tutus in conscientia, ideoque se Episcopatu abdicavit.

63. VI. Episcopus tenetur ad corripiendum, et ad scandalis occurrendum strictius quam parochi, tum quia ipse est principalis pastor, tum quia majore auctoritate sua potest malis consulere, invocando etiam, si opus est, auxilium principis secularis; uti fit a multis bonis Episcopis, et quidem voti sui fiunt compotes. Hoc est illud grave onus, quod Episcopi etiam sancti mirum in modum formidant. Episcopus Neriti Sanfeli fel. mem. dicebat: *Quomodo somnum capere possum, cum scio aliquam ex ovibus meis Dei gratia carere?* Verum est tale officium odio esse non paucis, et Episcopo, ut bene eo fungatur, conciliandæ sibi maledictiones, aversiones et etiam vitæ pericula; *sed bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Dicebat idem Episcopus Sanfeli: *Episcopum in acceptando episcopatu præparare se debere, aut ad esse inquisitum, aut venenatum, aut damnatum.* Ut recte occurratur scandalis, opus est ut Episcopus attendat assidue ad inquirendum, et non tantum a parochis, vel a vicariis foraneis, qui multoties ob humanos respectus, aut ne videantur negligentes, tacent; sed etiam perquirat ab aliis sacerdotibus zelantibus, quos ubique locorum diœcesis ad id destinatos habeat, ut ab ipsis certior fiat de omni quod sciunt. Et cum ad se adeunt parochi et vicarii, curet statim coram se admittendos, et cito expediendos, ut postea sint faciles ad redeundum, et ne excusationem afferant, se non posse tamdiu expectare.

64. VII. Episcopus tenetur ad largiendas eleemosynas. Ecclesia re ditibus episcopatum non instruit ut suo libitu profundat Episcopus, sed

ut pauperibus succurrat; patrimonium pauperum est mensa episcopalis. Sanctus Gregorius ait, eleemosynam esse primum opus misericordiæ, quod pastor suo gregi præstare debet. O quot malis potest Episcopus eleemosynis prospicere! Quot sponsi vivunt in peccato, quia eis non suppetit modus matrimonium perficiendi! Quot pueri ob paupertatem dormiunt una cum parentibus, aut mares cum puellis in eodem lecto cum tanta animarum pernicie! Ideoque boni Episcopi curant perquirere a parochis de necessitatibus, quæ adsunt, et eis imponunt ut se certiores faciant, quoties aliquod occurrit. Scio equidem doctores (1) dicere, posse beneficiatum servare fructus superfluos suæ sustentationi (intelligitur semper ac pauperes in gravi necessitate constituti non sunt) ut eos impendat in emendis redditibus pro Ecclesia, aut ut in posterum aliis majoribus necessitatibus provideat; scio etiam Episcopos sanctos non legare nummos, aut prædîa empta, sed æs alienum. Dedit Episcopus, dicebat s. Carolus, ut fama audiat, quod ipse nummos in arca retineat. Et sanctus Thom. de Villanova dicebat quod si moriendo nummos reliquisset, se pro damnato habiturus esset.

65. Omitto denique sermonem facere de aliis Episcopi muneribus, v. g. de Missa quam ipse, etiam plus quam parochus, tenetur in festis pro suis ovibus applicare. De accessu quem ad se patentem assidue tenere debet subditis, etc. et præcipue parochis et vicariis foraneis, quos statim ad sui præsentiam admittere tenetur; nec non rationem exquirere a vicario capitulari de omnibus quæ fecit, ut præcipit Trident. *Sess. 24, c. 16. de reform.* Sed omittere non possum, quin aliquid dicam de bono exemplo, quod ipse cunctis exhibere debet. Si pastor cupit, ut oves ad montem ascendant, opus est ut præ-

(1) Lib. 3. n. 491. Quær. 4.

eat ipse. Episcopus est illa lucerna a Deo super candelabro posita, ut luceat omnibus, qui sunt in domo Domini. Igitur oportet, ut dixit s. Paulus Tito, Prælatum omnium virtutum, quas in suo grege videre cupit, se exemplum ostendere. Sit exemplo *mansuetudinis*; beneficia cum potest ingratis et inimicis, a quibus vexatur, rependendo. Perspicua exempla habemus, quæ nobis reliquerunt s. Carolus, s. Franciscus Salesius, et nuperrime Emilius Cavaliere Episcopus Trojæ, de quo erat proverbium: *Qui ab Episcopo Cavaliere vult beneficiis affici, oportet ut de ipso male mereatur.* Sit exemplo *paupertatis*; verum est quod Episcopus quin justitiam lædat, potest impendere quantum suam decentem sustentationem decet, sed in cunctis deberet efficere ut sancta paupertas splendeat. Paupertas in habenda familia moderata: tot tantum sibi famulentur, quot suæ mere necessitati satisfacere sufficient. Paupertas in vestitu, et in modesta ac simplici domus suppellectili; Episcopus enim, qui palatium sumptuosa suppellectili, quæ laici oblectantur ornatum habet, non utique adificationem præ se fert populo. Sanctus Carolus e domo sua omnia aulæa tapetia, paramenta et curiosas imagines penitus dimovit. Paupertas in mensa frugali, et pro comperto habeatur, quod nihil aliud poterit magis Ecclesiastici apud vulgus existimationem conciliare, quam

frugalitas in victu: *Vivere autem de altari, non lucrari concessum est.* Can. I. dist. 44. Et Trident. jubet, *quod modesta suppellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint.* Sess. 23. c. 1. de ref. Ita pariter exemplo *sitorationis*: Cardinalis de Areticoconsulto descendebat in ecclesiam oraturus ante ss. Sacramentum, ut alios exemplo suo moveret. *Mortificationis*: abstinendo a quibusdam solatiis Prælatum non decentibus. *Solitudinis*: ad secularium consuetudines, nisi ex necessitate non accedendo. *Modestitæ*: mulierum commercia aufugiendo, et cum necesse sit, maxima cautela cum eis agendo. *Zelo*: operam dando, ut in omni privato sermone de Deo eloquia immisceat, uti s. Carolo moriserat, dum sibi cum quibuscumque agendum erat.

66. Dixi, loquendo de parochis a bonis parochis pendere subditorum salutem. Nunc dico a bonis Episcopis pendere salutem totius diœcesis; nam Episcopus promovet bonos clericos, bonos sacerdotes, eligit bonos confessarios, et bonos parochos: suo bono exemplo, et vigilantia multum confert, ut in probitate sua illi perseverent, et ita univere in diœcesi pietas vigere videatur. Propterea in hac materia de pastorum debito fusius egi, quam in aliis, quia in hac agitur de bono, vel damno communi, quod omne in pastorum bono vel malo ductu positum est.

## TRACTATUS VIII.

### DE QUINTO PRÆCEPTO DECALOGI

#### CAPUT I.

##### DE OCCISIONE SUI IPSIUS.

1. et 2. Quando licet vitam periculo exponere.
3. De puerorum eviratione.
4. De ebrietate.
5. An liceat inebriari pro medicina.
6. An ut evitet occisionem.
7. An liceat inducere proximum ad se inebriandum, ut impediatur eum a majori malo.

8. Quæ culpæ imputantur ebrio, et de peccatis in causa.

1. Nemini directe, et ex proposito sine auctoritate, aut inspiratione divina (qua nonnulli martyres mortem sibi ipsi sine culpa intulerunt) seipsum interficere permittitur. Ita pariter non licet positive gravi vitæ periculo se exponere: quare peccant funambuli (qui super fune ex locis

altis ludos repræsentant) et alii, qui venena sorbent, aut a viperis se mordere faciunt cum mortis periculo (1). Dictum est *directe*, quia indirecte aliquando ex justa causa licet exponi periculo, ut communiter docent doctores (2). Hinc dicunt posse, immo debere militem perseverare in suo loco, licet prævideat mortem passurum, et hoc est commune. Dicunt 2. licere cibum amico cedere in penuria, aut tabulam in naufragio, etiamsi jam eam apprehendisset: ita Toletus Less. Silv. Lugo Salm. Prad. Busemb. Victoria, et alii communius, contra Soto et Laym. et est valde probabile; quia aliud est sibi mortem inferre, et aliud est omittere vitam tueri, quod est licitum ex justa causa, et hoc expresse docet s. Thomas (3) dicens: *Tradere se ipsum morti propter amicum est perfectus actus virtutis, unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam corporalem* (4). Dicunt 3. licere in casu incendii se præcipitem dare ex fenestra semper ac apparet spes mortem imminuentem evadendi; ita Laym. Less. Lug. Fill. Bus. Salm. Spor. et Elbel, qui hoc permittit etiam reo morti, aut carceri perpetuo damnato (5). Dicunt 4. Bonac. Lugo Less. Salm. Trullench., etc. licere navi ignem applicare etiam cum periculo vitæ evidenti, ne cum damno communi in manus inimicorum veniat (6). Dicunt 5. Laym. Busemb. et Mazzotta, quod licet aliqua virgo non possit se ipsam occidere, possit tamen se exponere mortis periculo, ne violetur; et hoc non videtur improbabile tum ob amorem, qui castitati debetur, tum ob periculum peccati, quod semper adest in tali occasione (7).

2. Licet 6. reo non fugere, cum

(1) Lib. 3. n. 369. v. Notand. — (2) L. 3. n. 367. — (3) 3. Sent. dist. 29. q. 1. a. 4. ad 3. — (4) L. 3. n. 366 — (5) N. 367. — (6) Ibid. quær. 2. — (7) Ibid. cit. quær. 2.

possit, et etiam se iudici præsentare, ut puniatur, quamvis morte muletandus sit. Imo dicunt Vasquez, Bonac. et alii, quod posset reus etiam se occidere, si iudex eum carnificem sui ipsius constitueret; sed hoc communius negant Suarez cum s. Thoma, etc. dicendo occisionem sui ipsius esse intrinsece malam. Cæterum communiter permittitur reo scalam ascendere, collum securi aptare, cum tales actiones sint remotæ ad mortem (8). 7. Licitum est, imo laudabile, Caribusiensis a carnibus abstinere etiam cum periculo vitæ, ut probabilius dicunt Sanchez, Busemb. Salm., etc. Sed si comederent in tali periculo (modo saltem probabili) non peccarent, ut dicunt Azor. Med. et Vict. Imo si nullum alium cibum haberent quam carnem, ea vesci tenentur (9). Dicunt 8. licere pœnitentiis, et jejuniis virtutis amore se mortificare; licet vita per multos annos imminuenda foret, modo pœnitentiæ non sint immoderatæ (10). 9. Licet paulo ante mortem ob humilitatem se humi collocandum facere, ut moris est apud Monachos Trapenses, Busemb. cum Vasq. Insuper dicunt communiter Sotus, Bonac. Salm., etc. neminem teneri vitam servare (nisi necessaria esset bono communi) mediis extraordinariis et valde doloriferis, v. gr. tibiam sibi incidendam, lapidem e vesica extrahendum permittere. Ita etiam dicunt Less. Sanch. Escob. Turrian. Salm. Busemb., etc. non teneri virginem ægrotantem manus chirurgi in videntibus subire, ut suæ infirmitati occurratur: potest tamen id sinere. Tenetur autem permittere ut curetur ab alia femina (11).

3. Contra vero, sicut non licet se occidere ita nec sibi membrum mutilare, nisi ad servandam vitam. An autem sit permissum pueros evirare ad servandam eis vocem; negant Laym. Lugo, Bus. Salmant. cum

(8) Lib. 3. n. 369. — (9) L. 3. n. 370. — (10) N. 371. — (11) N. 372.

communiori: sed alii affirmant cum Trullench Salonio, Elbel, Mazzotta, Pasqual. et Tamburin., dummodo puer consentiat, et præciso vitæ periculo, tum quia, ut dicunt, vocis conservatio in iis, qui sunt pauperes, videtur esse bonum magni momenti, quod fortunam, et statum præstantiora offert; tam etiam quia eunuchi videntur esse utiles bono communi, cum illi suo cantu conferant, ut populi cum devotione in ecclesiis detineantur; tum denique quia id quotidie fit, et toleratur a Prælatiis (1).

4. Ad hoc quintum præceptum spectat ebrietatis prohibitio, quæ est culpa gravis cum perfecta erit; imo omnia mala probabiliter prævisa ab ipso, quæ committuntur, suæ culpæ imputantur: sed advertendum est ebrietatem, ut docent s. Thom., et s. Antoninus, tunc dici perfectam, et graviter culpabilem, cum quis advertenter, et voluntarie omni usu rationis se vino privat, dum in hoc consistit malitia ebrietatis (juxta s. Thomam) ut *homo volens, et sciens privet se usu rationis* (2). Ex quo inferitur 1. non peccare graviter, qui eo non pervenit, ut careat ratione totaliter, sed remanet potens (licet caput vacillet) ad bonum, et malum discernendum; ita Cajet. Laym. Tolet. Wigandt. Holzm. Salm. Elbel et alii communiter (3). Inferitur 2. cum s. Thoma, et aliis communiter, non peccare graviter qui bibendo non judicat illa portione, licet immoderata, posse inebriari; dicit s. Doctor loco cit. non esse mortale ebrietatem, cum accidit *quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen aestimet potum esse inebriare potentem*. Nihilominus in hoc debet adverti cum eodem s. Thoma, et aliis, quod si quis frequenter expertus sit se inebriari eandem quantitatem bibendo, tunc non excusatur a mortali: sicut etiam (addo) non excusatur, si tantam quantitatem sumit, quam advertit jam po-

(1) Lib. 3. n. 374. — (2) 2. 2. q. 450 art. 2. — (3) Lib. 5. n. 75.

tentem esse ad inebriandum, etiamsi postea ad summum capiendum se recipiat, quia jam actionem intrinsece malam ponit.

5. Quæritur 1. An liceat se inebriare, cum hoc esset necessarium, ut ab aliquo morbo mortali se liberet? Multi id permittunt, ut Lessius, Castr. Laym. Tolet. Ronc. et Salm. cum Sylvio, Cajet. Silv., etc. dicentes comedere, et bibere tunc esse grave cum hæc sunt immoderata, sed immoderatum dici non posse id quod est necessarium ad vitam conservandam. Alii vero negant, ut Tourn. Petrocor. Felix Pot. et Holzm. dicentes voluntariam usus rationis privationem esse intrinsece malam. Nos autem sic dicimus: bibere vinum directe ad finem se inebriandi est intrinsece malum, et non potest permitti; ideoque esset illicitum inebriari ad sensus sopiendos, ne dolorem ob aliquam incisionem, aut carnis adustionem sentiat: non autem cum vinum sumeretur tamquam remedium ad expellendos, aut corrigendos humores melancholicos, sicut licet matri (ut dicemus *seqq. n. 25. et 26.*) medicinam sumere, ut occurrat morbo, licet per accidens fœtus animati expulsio eveniat (4).

6. Quæritur 2. An liceat alicui inebriari ad evitandam mortem, quam alii sibi minantur, nisi ebrietur? Multi affirmant, Less. Bonac. Castr. Laym. Bus., etc. dicentes quod in tali casu rationis privatio non intenditur, sed permittitur, ut dictum est in casu antecedenti. Sed probabilius negant Azor. Wigandt. Tourn. Holzm. Salm., etc. qui recte dicunt quod in casu antecedenti ideo licet ebrietatem permittere, in quantum periculum est intrinsecum, qualis est morbus, qui expelli desideratur; sed non licet, quando periculum est extrinsecum: sicut non est permissum matri fœtum expellere, ne occidatur a parentibus, cum hoc sit intrinsece malum, prout habemus ex propositione 34. ex proscriptis ab Innoc.

(4) n. 76.

XI. Et ita docet sanctus Augustinus *Serm. 232. de temp.* ubi loquendo de eo, qui ab aliis cogere ad inebriandum dicit: *Etiam si tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua moreretur, quam per ebrietatem minima moreretur* (1).

7. Quæritur 3. An liceat inducere proximum ad se inebriandum, ut impediatur quominus majus malum committat, v. g. sacrilegium, homicidium? Alii negant, sed non videtur improbabilis sententia Lessii, Medinæ, Gob. et aliorum, qui permittunt ob id quod dictum est *Tract. 4. n. 30.* ubi dictum est cum Soto, Sanch. Caj. Mol. Nav. Cast. Bonac. licitum esse suadere alicui peccatum minus (licet alterius speciei) ut liberet eum a peccato majore, quod committere est determinatus (2).

8. Quæritur 4. An imputentur ebrius ad culpam omnia mala, quæ in ebrietate committit? Resp. si ebrietas non est voluntaria, quippe nec etiam peccata erunt mala quæ ex illa sequuntur. Si vero est voluntaria, certe erunt peccata omnia mala prævisa, et etiam quæ moraliter prævideri debuerant. Hinc prævisa reputantur mala, quæ ebrii ordinariè committere solent, vel quæ aliquis antea ex aliis ebrietatibus novit committere, et etiam omnia peccata ad quæ se noverit propensum, cum enim in ebrietate, amisso rationis usu, natura necessario operetur, facile ipsa prorumpet in ea vitia ad quæ propendet. Contra vero non reputantur prævisa alia mala, quæ casu eveniunt: ita Caj. Azor. Less. et Salm. cum aliis (3). Recte autem advertunt Lessius, et Salm. (4) cum aliis, quod gravitas peccatorum, quæ in ebrietate committuntur, accipi debet juxta mensuram advertentia, et voluntarietatis illorum in

(1) L. 5. n. 76. Qu. II. — (2) n. 77. v. Qu. — (3) Cajet. 2. 2. q. 150. a. 4. Azor. l. 7. c. 6. Less. l. 4. c. 3. n. 25. Salm. tr. 25. de V. præcept. cap. 2. ex n. 26. — (4) Less. loc. cit. et Salm. n. 33.

causa, scilicet in ebrietate. Quod autem sentiunt Salmanticenses cum Soto n. 30. et 31. ubi distinguunt et dicunt mala operis, ut occisio, fornicatio, etc. hæc imputari, non autem mala oris, ut contumelia, blasphemia, et perjuria: quia, ut dicunt, ea verba prolata ab usu rationis experte, sunt pure materialia, tamquam prolata a psittaco, unde non habent malitiam formalem. Huic opinioni accedit circa contumelias erga homines, quia revera cum illæ prolatae sunt ab ebriis, non habentur dedecori, modo ille non patefaceret aliquid infame delictum; non vero circa perjuriam, et blasphemias, quia hæc, licet materialiter prolata, semper sunt Deo injuriosæ; et si illæ non sunt voluntariæ in actu, sunt voluntariæ in causa.

## CAPUT II.

## DE OCCISIONE PROXIMI.

9. et 10. De occisione ex publica auctoritate.

11. Ob propriam defensionem.

12. Confutatur super hoc puncto opinio cujusdam neoterici.

13. De occisione tyrannorum, an unquam liceat?

14. De honoris invasore.

15. Bonorum.

16. Pudicitia.

17. et 18. Ob proximi defensionem.

19. An liceat prevenire aggressorem?

20. De adultero, etc.

21. De innocentis occisione.

22. De abortu.

23. An incurrant excommunicationem prægnantes, etc.

24. De dubia fetus animatione?

25. et 26. An mater possit sumere pharmacum cum periculo abortus?

9. Nemini licet hominem occidere, nisi auctoritate publica; vel ob defensionem propriam. *Auctoritate publica* possunt certe occidi rei condemnati, et etiam proscripsi (vulgo *fuorgiudicati*), modo inveniantur in loco principis proscribentis. Cæterum ne satellitibus quidem licet solum occidere profugum, aut obstantem, licet sit jam mortis damnatus, nisi de hoc habeatur speciale prin-

cipis mandatum. Hoc mandatum cæteroquin potest dare princeps, quando reus jam esset condemnatus, aut convictus, aut sufficienter diffamatus de aliquo capitali delicto, et si fugere permetteretur, timeri possent ab eo mala pejora, ut dicunt Layman, La-Croix, Elbel, et alii (1). Contra non potest princeps præcipere occisionem rei in carcere detenti, et non adhuc morti damnati, quamvis scientia privata constaret eum morte dignum esse; dummodo (limitant Salmant.) ejus delictum non esset notorium, aut periculum esset seditionis, si moreretur eum supplicio necare, aut principii esset dedecori, si ille juridice damnaretur (2).

10. Hic duo notanda sunt. *Primum* est, quod non possunt clerici, licet potestate laicali gaudeant, damnare aliquem morti, nisi expressam Papæ dispensationem obtineant. Cæteroquin Episcopi qui dominio temporali dominantur in aliqua regione in causis sanguinis bene possunt suam potestatem laicis committere; ita Bonac. Trull. et Salm. cum s. Thoma (3). *Secundum* est, quod iudex sub gravi tenetur concedere damnato tempus confitendi, et etiam communicandi (modo non timeatur aliter grave damnum); nam tunc urget præceptum divinum, cum revera us sit in articulo mortis: itaque ille communicare etiam non jejunos, ut dicunt Suarez, Lugo, Navarus, Salmant., etc. Si autem reus animo obfirmatus nollet confiteri, facta ei monitione, potest executioni sententia mandari, Bonac. Trullench, Salm., etc. (4).

11. Insuper ob propriam defensionem licet injustum aggressorem interficere, modo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, nempe si non inferatur proximo damnum majus illo, quod necesse est ad vitandum proprium. Hoc omni lege humana, et divina permissum est, ut di-

(1) Lib. 3. n. 376. et 380. v. Decius. — (2) n. 377. — (3) n. 378. — (4) n. 379.

cunt s. Thomas (5), Catechism. Roman. (6), et dd. omnes, et habetur expresse in *cap. Si vero, 3. de sentent. excom.* ubi dicitur: *Cum vim vi repellere, omnes leges omniaque jura permittant.* Quidam auctor rigorismi amicus asserit, s. Augustinum, et Thomam tenuisse non licere hominem occidere, neque ob defensionem propriæ vitæ; sed prorsus errat, nam s. Thomas *loco citato* pluries expresse docet id esse licitum, dummodo (ait) non intendatur homicidium; sed tantum propria defensio; et sic *cit. art. 7. ad 1.* explicat intelligendum esse s. Augustinum. Nec obstat dicere quod præferenda sit vita spiritualis proximi vitæ temporali propriæ; quia hic ordo charitatis (ut respondent Petrocor. Lessius, et alii dd. communiter) tunc locum habet, cum vita propria est absolute necessaria salutis spirituali proximi, qui in extrema necessitate manet (v. g. si puer manet in periculo proximo sine Baptismo moriendi, tunc adest obligatio vitam fundendi, ut ille baptizetur), non autem cum aggressor voluntarie seipsum conjicit in periculum damnationis; tunc enim ejus prava voluntas non potest aliis auferre jus quod habent propriam vitam tuendi (7).

12. Sed quidam neoterici, *Eusebius Eraniste in sua defensione doctrinæ s. Thomæ* circa tyrannorum occisionem *Epist. 1. pag. 54. num. m.* occasione hujus materiae progreditur ad discutiendum, an liceat viro privato injustum aggressorem interficere, conaturque probare ex eodem s. Thoma illicitum esse privatis aggressores interficere etiam ad propriam vitam servandam. Oportet igitur Angelici sententiam perpendere. S. Doctor 2. 2. q. 64. a. 7. scribit, aliquem actum plures effectus habere posse, unum in intentione, alium præter intentionem. Ex

(5) 2. 2. q. 64. a. 7. — (6) P. 3. de V. præc. n. 8. — (7) Lib. 3. n. 380.